

## Codice Diplomatico Longobardo I, 6

In nomine Domini. regnante utro excellentissimo domino nostro Grimoaldus rex, anno regni eius quinto, die iouis undecima, mense iunio, in festo sanctissimi patris nostri Barnabae apostoli, indicione nona; feliciter. Ecclesie matri Beate Marie genetricis Dei regina Caeli, sita platea magna ciuitatis Cremonae, ubi ego licet indignus Gratosus uenerabilis presbiter esse inuenior, presens presentibus dixit: de spem uitae eterne anime sue cogitat qui locis uenerabilibus de suis facultatibus contulerit terrena, ut a Christo celestia eterna percipiat uita. Ideoque ego qui supra Gratosus gratia Dei presbiter de ordine Sancte Marie ecclesie matris do, dono, cedo, et in ius et dominium eiusdem Sancte Marie matris Cremonensis ecclesie transfero unam peciam de tera casatam cum uineis, culto, prato, silua et anca, quam abere et possidere uideor in loco Zirbello prope oraculum qui dicitur Sancti Sisinii episcopi ultra Padum; item omnem substantiam facultatis mee tam casa, curte, orto, area, campis, pratis, uineis, siluis, pascuis et anca, cum omnibus adiacentibus, que abere et possidere uidcor non multum longe da isto oraculo qui dicitur Sancti Sisinii, in loco qui nominatur Ardula. que omnia et in omnibus finibus et terminis ad meum ius pertinent, per presentem cartulam donacionis ab oc die in antea confirmo et transfero in ius eiusdem Sancte Marie ecclesie matris de ista ciuitate Cremona, ea condicione et lege, ut sint in iura et potestate uenerabilium fratrum meorum beatissimi presbiteri et diaconi eiusdem Sancte Marie matris pro fundamentis et luminariis eiusdem Sancte Marie; item cum pacto, ut de ipsis bonis meis sint luminaria in eodem oraculo, iacet in loco ubi beatissimus Sisinius episcopus martyr occubuit, et in die festo eiusdem sancti Sisinii episcopi in eodem oraculo accendantur ceri, et comburantur thura et aromatha, et de eisdem aromatibus condiatur corona et pharum, ut accendantur in onorem eiusdem sancti martyris Sisinii episcopi in odorem suauitatis. item uolo ut omni anno in die natali eiusdem sancti Sisinii martyris Christi sancti episcopi beatissimus domnus episcopus cum reuerentissimis presbiteri et diaconi eiusdem Sancte Marie abeant de iisdem bonis meis unum bonum prandium in refectorio comuni.... + Leo diaconus sancte Cremonensis ecclesie hanc cartulam donacionis exemplauit, et sic ibi continebatur ut hic legitur, litera plus aut minus.